



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Vtrum Antichristus futurus sit deditus concupiscentiis fœminarum? Sectio.
V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Utum Antichristus futurus sit deditus concupiscentiis
fœminarum?

SECTIO V.

I. Hanc dubitationem excitamus propter locum illum Danielis 11. *Deum patrum suorum non reputabit, & eris in concupiscentiis fœminarum.* Quem locum Septuaginta, teste D. Hieron. in comment. super Dan. ita transtulerunt. *Et concupiscentiâ mulierum non subiacebit.* Quod quidem in ea 70. interpretum translatione, quam nunc habemus, non reperitur: sic enim apud eos legimus ad verbum, ἐπιπαύσαι δὲ εἶς τὴν πατρῴων θεῶν καὶ τῶν ὁμῶν, ἐπὶ ἁρῶν ἡρώων, ἡ ἐπὶ τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν: hoc est, super omnes Deos patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam fœminarum, & super omnem Deum nō intelliget. Quibus verbis, quia ambigua sunt, significatur, ut ipsemet Hieronymus confitetur, habere eū concupiscentiam fœminarum, & non habere. Non habere quidem si ita intellexerimus: super concupiscentiam fœminarum, non intelliget: habere autem, si ita accipiamus: super concupiscentiâ fœminarum, scilicet, erit. Iuxta primam autem lectionem vult Hieron. sermonem esse de Antichristo, qui simulaturus est castitatē, ut plurimos decipiat. Iuxta secundum verò de rege Antiocho, cuius fuerunt importunissima libidines. Nostra vero vulgata utrumque sensum patitur si more Hebræorum præcedens negatio in posteriori quoque membro subauditur: & ita legamus: Deum patrum suorum non reputabit, & non erit in concupiscentiis fœminarum. Est enim idiotismus Hebræus, ut negatio in priori sententiæ membro expressa, in posteriori subaudiatur, veluti Esaïæ 53. *Non erat ei affectus, & desideravimus eum,* id est, non desideravimus eum.

II. Dicendum igitur videtur, propter hanc lectionis ambiguitatē, Antichristum initio quidem simulaturum esse castitatē, ut ex Hippolyto superiori scēt. diximus: sed ubi rerum potitus fuerit in omnē libidinem, & scōrtationem ruiturum, ne dicamus homini omnium perditissimo commune naturæ vitium, & quod in homines plusquam reliqua dominatur, hoc est libidinē, defuturum. Quo etiam pacto respondet Lyranus in comment. super Dan. docēs Antichristum exterius quidem simulaturum esse castitatē, ut facilius decipiat: non futurum tamē castitatis amatorem: sed aduersarium, & libidini deditissimum. Quam ob causam arbitratur significatum fuisse à Ioanne Apocal. 17. per bestiam ascendentem de abyfso, eo quod bestia symbolum sit lasciviæ, & libidinosi homines bestiarum more vitam agant. Atque hinc licet colligere illustrissimū castitatis encomium, cuius nimirū tanta est pulchritudo, ut vel eius vnus simulatione persuadere sibi debeat Antichristus fore, ut reliqua omnia sua vitia, flagitiaque obtegantur: & sola opinione castitatis, ipse ad totius orbis monarchiam euehatur. Itaque homo ille peccati, & filius perditionis cum omnium se virtutum hostem profiteri debeat, non audebit tamē aduersus castitatē aperto Marte bellum gerere, quia cernet nihil esse, vel ad invidiam conflandam libidine efficacius, vel ad conciliandam benevolentiam castitate præstantius.

Utum Antichristus idolorum cultor sit futurus?

SECTIO VI.

I. Videntur quædam loca Scripturæ in speciem pugnare. Quædam enim docent Antichristū omnem omnino Deū abiecturum, nec aliquis alterius cultū præter quam sui permissurū, veluti 2. Thes. 2. *Es extollitur supra omne, quod dicitur Deus,*

Dan. 11. 37.
Septuag.
D. Hieron.

Esaï 53. 2.

Hippolyt.
Simulata
præ castita-
te in omnem
libidinem
ruet. Anti-
christus.
Lyranus.

Conciliat
benevolentiam
castitas.

VIE G...
Apocalyp...
17